

**Disputatio medica inauguralis de morbis habitualibus ... / sub præsidio
Georgii Ernesti Sthal [sic] ... pro licentia, summos in arte medica honores ...
ad d. Mai. MDCXCVIII ... ; publicæ disquisitioni proponet Andreas
Christianus Rhetius.**

Contributors

Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.
Rhetius, Andreas Christian.

Publication/Creation

Halæ Magdeburgicæ : Typis Christoph. Andreæ Zeitleri, Acad. Typ, 1704.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ndqv3hyn>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
De
MORBIS HABITUALIBUS,

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. FRIDERICO VVILHELMO,
MARCHIONE BRANDENB. ELECTORATUS
HÆREDE &c. &c.

JUSSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,
SUB PRÆSIDIO
DN. GEORGII ERNESTI STHAL,
D. ET PROF. PUBL. h.t. DECANI,

PRO LICENTIA,

Summos in ARTE MEDICA Honores, Juraq; & Privilegia legitimè capeffendi,

Ad d. Maj. MDCXCVIII. horis ante 5 pomeridianis

Publicæ disquisitioni proponet.

ANDREAS CHRISTIANUS RHETIUS,
Arnstadiæ Thuringus.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTOPH. ANDRÆ ZEITLERI, Acad. Typ. A. 1704.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30770245>



PROOEMIUM.



Non exigua Praxeos Clinicae difficultas est, quòd subinde affectus occurrant, qui vel per-fre-quenter Patientem denuo in-vadunt, & sæpius, velut ex impro-viso, repullulant; vel medicamen-
ta etiam alioqui efficacissima ita

frustrantur, ut sæpè numero unus idemq; Pateriens in tali affectu quem jam aliquoties expertus, & ab eodem sa-tis commodè liberatus est, alia vice à consimili metho-do & medicamento, nihil planè levaminis nansciscatur.

Ut enim nihil dicamus de reliqua contumacia va-riorum morborum, hæc ipsa sane sæpè numero ita & Patientem infestat, & Medicum fatigat, ut Ille quidem vires, aut ad minimum patientiam; Hic vero bonam opinionem tum aliorum de se, tum sui ipsius de Arte, non raro concussam experiatur.

Certè, cum Medicina non purè & unice actione, Therapia, sanatione, absolvatur, sed magnam partem etiam in Scientia, Prognosi, Prædictione eventus; & Diagnosi causarum incorrigibilium, fundetur & verse-

tur : Nisi exactius harum rerum peritus sit Medicus, periclitatur omni modo de existimatione sua, quando contumacium ejusmodi & rebellium affectuum non satis probabiliter, imò verò sensibilibiter, edifferere valet eventum.

Eò itaque omni modo eniti ipsum decet, ut hujus circumstantiæ solerti indagatione, non modo rationem reddere valeat; sed etiam prudenti & judicioſa penſitatione ſpeculari, an non aliqua Methodus, & quænam in ſpecie, pro cauſarum diverſitate, inſtitui poſſit, qua ejusmodi defectibus efficaciter ſuccuratur: & illud quidem vel ad plenariam eorum percuracionem, vel ad minimum ad mitigationem, præcautionem, interverſionem.

Affectuum ejusmodi cenſum ſi non omnem, grandem conſtituunt, MORBI HABITUALES, qui ſi ex ſuo genere tantum à Medico æſtimentur, nequè hæc i-
pſorum formalitas, diuturna aſſivefactio, admodum circumſpectè expendatur, non poteſt non Diagnofi, Prognofi, Therapia, Empiria, undique multum decipi, imò ſi paulo præcipitantior fuerit, turpiter ſeſe dare Medicus.

Practicam itaq; hanc conſiderationem eligimus, pro exercitio Inaugurali; quam ut non modo condignè evolvamus, ſed etiam aliquid uſus Arti noſtræ inde eveniat, divinam benedictionem ſupplices imploramus.

☉ (3) ☉
CAPUT. I.
MORBI HABITUALES
QUID SINT,

Appellatio *Habitûs*, vel inde è scholis, & e vulgaribus categoriarum clasibus, adeò nota esse nobis videtur, ut vel ipsa inutilitate odiosa esse possit prolixior de ipsâ fermocinatio. Sufficit dicere, quod idem significet atque vox *consuetudo*: Nimirum *promptitudinem* aliquam ad *agendum* vel *patiendum*, à longo tempore, *multiplici actu*, & *majori indies Habilitate & Agilitate*, potius *augescentem*, quàm *decescentem*.

Morbi vero nomen, sumimus hoc loco, libertate non temerariâ, *latius*, pro qualibet *passione*, five *partium* ipsarum *substantiam*, *crasin*, *consistentiam*, *structuram*, *connexionem*, afficiat: five *Actiones* ipsarum concernat, quæ vulgò *Symptomata* appellant.

Licet enim verum hoc sit, quod, quando aliqua *pars* læditur, eo ipso utique ad *actionem* illam, cui destinata est, inepta reddatur, eâ proportionem, quantum læsio ipsius infert & absolvit; Ut adeo hujus generis læsiones *Actionum*, summo jure *Symptomata* appellentur ex eo, quod simul cum *partis* ipsius læsione accidant. Cum tamen nequaquam unice verum hoc sit, quod nulla *Actio*, nisi solùm ita à *posteriori*, à *partium* vitio lædatur; sed nimium quàm frequentia sint ejusmodi vitia, quæ a *priori*, ab ipsius *actionis*, imò verò ab *Agentis*, vitio, pendeant, & circa ista externa actionis requisita, *Tempus* incipiendi, *Gradum* impellendi, *Proportionem* cum subjecto, *Directionem* ad effectum, *Intentionem* ad finem &c. versentur; & minime tantum à *materialibus* corporalibus causis, quam *immaterialibus*, *intentionalibus*, concitentur, exasperentur, perturbentur: sane summum jus ac fas esse censemus, à *stricta* symptomatum appella-

tione, hujus generis casus excipere: Imo verò, cum valdè numeroſi ſint, & præcipue in præſenti noſtro negotio, multas tribus ducant, tantò juſtiùs ſane fuerit, ut hâc libertate utamur.

Tantò magis vero, dum hæc ſpecies *actionum læſarum*, quæ ita velut à priori turbulentiam *motuum* concitat, immenſum quantum in negotio *habitus* ſeu *aſſuefactionis* morbidæ, contri- buere ſoleat; Dum vel *leviorem* læſionem partis, *graviffima* per- turbatione *Actionis*, nimium quantum ante vertit: Vel omninò ubi nulla *partis* materialis diſpoſitio apparet, efficaciffimas & præſentiffimas *Actionum* debitarum læſiones introducit.

Ut enim taceamus notiffimam illam, præſentiffimam, & certiffimam, alterationem *Motus Vitalis principalis, pulſus*, in corpore quantumlibet exquisitè ſano, certò & perpetuò ingru- entem, imò irruentem, illo ſtatim momento, quo ex *Ira*, aut repentino *Terrore*, citrà ullam corporis alterationem aut mole- ſtiam, *Animus* ſolum concuſſus eſt: Frequentiffima certe & no- tiſſima ſunt exempla *Epilepſiæ* à graviffimo *terrore*, ſine ullo alio probabili vitio *corporis*: *Lipothymia*, ab eâdem nudâ graviffimâ perterrefactione: Imò ejusmodi pathematibus, *diu*, *graviffimè* angentibus, ex opinione *Spectrorum* in conclavi obſervantium, metu ab animalibus *furioſis* &c. in ſubjectis *Animo* tantum *timi- diore* præditis, die ſich es nicht aus dem Sinn ſchlagen können/ talia & graviora, & diuturniora, & frequentius recurſantia, *Actionum* turbatarum pathemata perfrequenter evenire, plus quàm notiffimum eſſe cenſemus.

Sint itaq; *Morbi* hi *Habituales*, omnia illa, ſive *partium* ſive *Actionum* pathemata, quæ ſive *partis* alicujus vitio difficillime e- mendabili, in diuturnam veluti *conſuetudinem* abeunt, & pati- enti veluti domeſtica evadunt, ut magis magisque prævalen- te noxâ & partis deturbatione, vix ejici ſeſe deinceps ſinant: ſi- ve ipſius *Actionis* prædominante *perturbatione*, absque ulla, aut ad mininum *proportionata*, *partis* alicujus læſione, hanc ean- dem modò dictam promptam & frequentem recurſationem conſueſcant.

❁(ς)❁
CAPUT II.
MORBI HABITUALES
QUALES SINT.

Qualesnam Morbi, *habituales* sunt vel fiant? si quæritur, sciendum antè omnia est, quod *habitus*, sive ut ita loquar, *habitualitas*, verbò *Assuetudo*, non quidem specialissimam prorsus differentiam constituat, ita ut morbi *habituales*, à reliquis totà *speciei* differant: sed sunt solum specierum variarum certus *modus*, quis istis quasi super accrescens, specialem *mutationum* ratione *Temporis & moris* iisdem infert.

Sunt verò non modo de *chronicorum* Morborum censu; sed etiam *Acutorum* aliqui, eò nimirum sensu, quo jamdum, *Hippocrates* lib. περὶ αἰσθῶν, Febres *intermittentes*, & ex his nominatim *tertianam*, *acutum* morbum appellavit: siquidem & *tertiana* ac *quartana*, & ipsum *Erysipelas*, *pyretode* motu perquam notum, ad *habituales* repullulationes non rarò neq; obscure alludunt.

Frequentissimì tamen, qui hunc genium induunt, sunt utique *chronici*.

Sunt verò *habituales*, sive *statu* sive *motu*. *Statu*, dum perpetuà & durabilissimâ *pertinaciâ*, sine ullâ perfectâ *cessatione*, ita obsident Patientem, ut velit *inquilini* facti, & jugi afflictione eundem infestent: *Motu*, dum interdum quidem cessant, & illud quidem nonnunquam ad satis longum imò longissimum, tempus: data tamen occasione, interdum etiam satis *levi* & *frivolâ*, mox *recrudescent*, & gravissimâ sæpe numero exagitatione, *Corporis & animi* vires afficiunt.

Ubi quidem statim notamus, quòd hæc circumstantia, nempe *Motuum* morbidorum *habitus* seu *assuetudo*, sit præcipuum illud, quod *habitualium* Morborum molestiorem seu gravio-rem atque pertinaciorém speciem constituit: Adeo quidem, ut expresse loquendo, *habitus* sive *assuetudo* morborum, proprie
in hoc

hoc ipso, nempe in perversâ *Motus* eorundem *agilitate*, perti-
naci *duratione*, aut promptâ *reversione*, fundetur.

Unde si generice, & quadantenus *scientificè*, Morbos hos
secundum classes suas recensere oporteat, enumerandi erunt
sub tribus *Motuum Humorum*. Sin autem *catalogum* saltem i-
psorum texere velimus, suffecerit, etiam vulgatissimâ metho-
do, saltem juxta seriem & *positum partium* corporis, *Indicem* il-
lum concinnare.

Utrumque faciemus quasi sub eodem *schemate*, ut ita,
quod quisque vult, facile inde arripere queat.

Qui à *Motu intercepto*, aut varie *interverso*, *contumaciter* fo-
ventur Morbi, adeoque diutissime *insolescendo*, veluti *stataria*
passione afficiunt *Ægrum*, sunt vel *Ulcerationes* variæ; vel *Scirr-
hi*: vel *Excrescentiæ*: vel male *conformationes*, ab inconvenienti
*consolidatione Vulnerrum, Fracturarum, Rupturarum, Erosionum, Lu-
xationum, Distorsionum, vel occallescentiæ, & Obrigescentiæ partium*
alias *sensilium*.

Qui verò à *motu aucto*, aut inordinate *depravato*, aut ni-
mium *neglecto*, dependent, sunt partim *sanguinis*, partim
lymphæ & seri, consvetorum *Motuum* modo *exacerbationes*, mo-
dò *omissiones*, modò *intempestivæ repetitiones*.

Et quidem maxime, circa partes atque loca aliàs con-
sveta & *ordinaria*, *Caput, Pectus, Abdomen, Uterum*, partes *hæ-
morrhoidali Motui*, *Urinæ* etiam, deservientes.

Motibus nimirum, tum *sanguineis*, *congestione*, & tonico-
spasmodica *compressione* sanguinis, versùs & circa hæc partes,
ad *Hæmorrhagias* ut plurimum spectante, ad minimum in ini-
tio, & sub primis hujus generis moliminibus: Tum *seroso-lym-
phaticis*, quos vulgò *catarrhos, diarrhæas, Diabetes, Fluorem al-
bum Mulierum, Manationes ulcerum, Sudores frequentes*,
spontaneos, aut *labore provocatos*, vel *arte elicitos*, observa-
mus.

His nominibus eveniunt circa *Caput, Hæmorrhagia nari-
um*; aut ubi hæ non æque perrumpunt, *Dolores Capitis* modò
antici,

antici, modo postici, modo alterutrius lateris: Ophthalmici oculorum rubores, aut palpebrarum Inflationes, Ardores, Pruritus, Ulcerationes & Squamosæ abscessiones: Aurium dolores, Tinnitus, & strepitus, Parotidum tumores, inflationes, inflammationes, Suppurationes: Erysipelas Capitis aut faciei. Et hæc quidem de sanguineo censu.

E Lymphatico - catarrhali profapiâ, variæ faciei & reliqui capitis, scabiositates, lippitudines oculorum, Coryza & Gravedines, Visus & Auditûs hebetudines, Narium & Oris sputatorie redundantia, illæ puerili præcipue Ætati familiares, hæ adultæ & juvenili, hypochondriacæ dispositioni vulgò assignatæ: Tonsillarum tumor & faucium, atque Uvula, cum mucosis, & sputatoriis symptomatibus.

Infrà Caput, Anginosa inflatio, & inflammatio faucium; Sputum cruentum, & Hemoptysis; Sicca Asthmata semestria, verna & Autumnalia: Asthmata spasmodica, per paroxysmos insultantia: Tussis diurnæ sicca, modò parvæ, modò violentæ & efferæ: Palpitatio Cordis.

Ibidem, à catarrhali causa, Rauces, tussis humida, Asthmata humida, Phthisis. Singultum quoque Diaphragmatis intuitu, his accensere, nemo credo vetuerit.

In Ventriculo, Vomitiones fræquentes; flatulenta, tum ipsius, tum intestinorum, pathemata, quæ hic quidem, Cardialgias suffocativas, Ruclûs, Anxietates & Angustias: Illic, varios torminosos Affectus, borborygmus, volutationes, globorum veluti motitationes ibidem, inducunt.

Pertinent huc in muliebri Sexu, tum ordinarius Mensium motus, tum variæ ejusdem anomalix; fluoris albi supra citatum pathema.

Diarrhææ quoque variæ, præcipuè spontaneæ, non tam immediatè ab assumptorum vitiis, quàm nunc & tunc, præcipuè verò verno vel autumnali tempore, evenire solitæ.

Affectus spasmodici antè omnia, Convulsivi æquæ, Epilepsia, atque vibrativi, artbritici, gonagrici, chiragrici, podagrici: Ar-

thritis vaga, paralysis vera & spuria, ut & spasmodica multa, Scorbuto adscribi solita, pathemata : *Nephritica* passionēs, *Oedematosi*, pedum, & reliquorum artuum, *tumores*, noctu quidem subfidentes, per diem verò recrudescentes.

Erysipelas item, certis partibus frequentius incumbens.

Denique *Hæmorrhoides*; Apud alios *internæ*, apud alios *externæ*: & hæc quidem jam *fluentes*, jam *cæcæ*, *turgentes*, aut cum dolore *tumentes*.

In his omnibus, similibusque, adhuc aliis, præcipue *externis*, ut *herniis*, uteri prolapsu, *scabiosis* efflorescentiis, aliisque; *Apostematibus* recursantibus; respiciendum maximopere est, quantum *specialem* hanc nostræ considerationis *formalem* circumstantiam induerint: quod quidem, quo magis fecerunt, eo magis sunt nostræ considerationis.

Et quò diutius tali modo egerunt: Imo verò adhuc magis, quo frequentius actum suum hujusmodi repetierunt, eo *contumacius* deinde insistant, eo *certius* redeunt, eo difficilius mitefcunt & desvescunt.

Verbo, omnes & singuli supradicti morbi, *assuescunt* perfacile; eoque ipso spectant, *in genere*, utique; ad hunc nostrum censum: *specialissimè* vero & eminenter, illos præcipue e dictis, notatos hic volumus, qui jam valde *insolentes*, insignem *agilitatem* ad revertendum, & *habilitatem* ad insistentum, induerunt, *sæpius*, *graviter*, *pertinaciter*, insistant.

Hi enim, cum plurimum differant ab aliis ejusdem generis, jam solum prima vice, & a *manifesta* aliquâ, atque; crasfiore, *corporali* causa, inductis atque; sustentatis; Adeoque; tam in *Prognosi* quam *Methodo* curandi, ab istis admodum discrepent: Propterea etiam in *Diagnosi* bene inter se invicem discerni merentur.

Possumus autem paulo latius, tales nostræ considerationis Affectus, complecti, dicendo, quod maxime spectabiles, & nostræ acceptionis, sint *habituales* Affectus, qui totam aliquam corporis *Regionem*, *cavitatem*, seu ut vulgo dicunt *Ventrem*, ita obsident, ut *sæpius*, aut *statis* veluti temporibus, ibidem

bidem repullulent: aut *pertinacissime* inhærescant, & diutissime partem obsideant. Sive jam *totam* illam Regionem, sive unam aut alteram ejus *partem*, infestent; Eamq; vel *grandiorem*, aut ejus Regionis *præcipuam*: aut *modò hanc modo illam* ex ibidem stabulantibus: sive immediate inter se, per nervos atq; vasa, *conjugata* sint, sive tantum generaliter, ipso *situ* atque *loco*, *con-*
nexa, sive comprehensa.

Unde præcipuas hujusmodi passiones designare possumus, varios *dolores Capitis* & *circa Caput*; varios ejusdem *infarctus*, *Catarrhales*, *ulcerosos*, *tumentes*, ad *fauces* quoque & *pectus* sese diffundentes, vulgò *Flüßigkeit/ der Patient sey trefflich zu Flüßen geneigt/ es fallen Ihm die Flüße so häufig &c.*

Intra *Pectus asthmatica* & *disficulosa*, diuturnæ, aut perfre-
quenter, & levi occasione recrudescentes, passiones: dicunt
vulgo der Patient *senso* zu *Stech-Flüssen* geneigt.

Exterius, *circa Nucham* & *cervicem*; & quidem alterutrum
ejus *latus*, frequentes *tensivi*, *pressorii*, imo quasi *contusorii*, do-
lores: quos vulgo *Rheumatismum* nomine denotant, Es sey ihnen
ein *Fluß* in den *Nacken* gefallen / daß sie sich davor nicht rüh-
ren/ nicht umsehen können. *Dolor* similis modo quasi *contuso-*
rius, modo *vibrativus*, *Ziehen/ Zucken/ reißen/ imo ut minùs*
diserti graviolem hujusmodi *pressionem* exprimunt, Es lebe al-
les drinnen: *Asthma* quoq; *spasmodicum* (quod in *Praxi*, ut fa-
miliarissime obvium est, ita certe melius distingui summo jure
meretur,) ab *externo* non modo *pressionis*, sed etiam *contuso-*
rii doloris sensu Patientem infestans, per sæpe etiam in *lancina-*
torios dolores diuturnos, neque sine febriculâ, excandescens,
vulgo *Pleuritidis nothæ* nomine: item *affectus asthmaticus*, cum
ejusmodi sensu in & sub *scapulis*, *Hæmoptyses* recurrentes,
Phthisis.

In *Abdomine*, *hypochondriaco-colica* utriusque *Sexus*, & *hy-*
sterica feminei in specie, symptomata. *Nephritica* passiones
specialissime vero *calculus*.

Inde omnis generis *arthritica*, *ischiatrica*, *gonagrica*, *pod-*
agrica, *varicosa*, *Pathemata*.

Spasmodici Affectus exterioris corporis, præcipue vero prorsus *convulsi*, si à *chronicâ* causa, aut gravibus *animi* commotionibus oriuntur, facile in *habitum* transmigrant.

Internarum quoque partium *spastica* concussiones, non raro eodem tendunt, ut *Vomit* post pastum, post pingves cibos; *colica* tormina post frigidum potum, aut leviter *feculentum*: *Diarrhœæ*, post similia: *Singultus* quoque, *Cardialgia suffocative* faminarum quarundam, post *dulcia*, *acida*, *svaveolentia*.

Imo vero ipsæ *febres*, minime extra hunc censum sunt, præcipue tamen *intermittentes*. Induunt vero *habitum*, modo ab ipsa longâ *duratione*, ut deinde non facile amplius cessent, licet maxime vel *nulla* amplius, vel certe non *proportionata* supersit *materia*: aut vertente *anno*, idque sæpe exquisitissime, ad *dierum* usq; numerum, recrudescent: & hoc ipsum non unô saltem annô, sed *duobus*, *tribus*, deinceps.

Specialissimum exemplar *habitualium* Morborum, sunt, illi, qui vel a *Phantasiâ* Matris perversa, *Sympathiis* vel *antipathiis* phantasticis, ortum duxerunt; vel *hereditariâ* transmissione, in hominem derivati sunt.

CAPUT III. MORBI HABITUALES UNDE SINT.

P*athologia* Morborum *habitualium*, fundatur partim in ipsa *partium* substantia, consistentia, continuitate, *structurâ*; partim in *Motu*, *actu*atione, usu, seu instrumentali actione earundem: Nempe in *mobilitate*, & actuali administratione *Motus*.

Quamvis autem *dispositio* partis, per aliquam substantiæ, consistentiæ, *structuræ* ejus, durabilem læsionem introducta, per frequenter ad *habitum* morbidum inducendum concurrat; vix unquam tamen maximam partem totius *Ætiologiæ* absolvit, nisi tantum in *stataris* seu *inveteratis* Morbis.

Nimirum *diutissima* quoque *deturpatione, destructio, interceptio, structura* partis, *restaurationem* ejusdem difficiliorem, languidiorem, & *flaccidiorem* post se trahit: Interim nequaquam dubio caret *speculatio*, utrum hoc puræ *substantie* partis, & annon potius *actui* structionis, *Energie*, promptitudini, ordinatæ & scitæ intentioni AGENTIS seu STRUENTIS, tribui debeat. Et sane vel leviter attendendo, pro affirmativa cadet *Judicium*.

Quicquid autem hujus sit, certum in nostram rem hoc omnino est, quod hujusmodi *partium* læsiones, non æque aliorum, quam *statariorum* Habitualium Morborum causæ, facile fiant; Aut, si *recurrentium* Pathematum quiddam foveant, *proportio* certe materialis hujus causæ, neq; *tempori*, neq; *gradui*, neque subinde *Speciei Motus*, rectæ respondet: Imò frequentissime ne ipsi quidem *loco* immediate affecto, obtingat atque evenit ille *motuum* perversus *habitus*.

Et tales quidem, qui a *Motus habituali* exacerbatione, perversione, intempestivâ concitatione, aut neglectione, pendunt, *affectus habituales*, immensum quantum *frequentiores* atque communiores existunt.

Inde etiam præcipue est, quod pleriq; hujusmodi Affectus, nullâ re citius, & gravius exacerbentur, quam *animi pathematibus*, aut *sensus* irritationibus, etiam satis *levibus* & tene-rioribus.

Et hoc quidem de *Ætiologiâ* horum Affectuum *generalissimâ*; ad quam etiam de cætero, *in genere*, notare convenit, quod *consuetudines* in corpore humano, proprie & quasi unice circa *Motus* versentur: Adeoque hic etiam illud ipsum, quod principaliter afficit, nihil aliud nisi *Motus* fit.

In specie vero, & quantum ad plerasq; allegatas *habitualium affectuum* *Ætiologias* attinet, sciendum est, quod iidem præcipue consistant in ejusmodi *Motibus*, qui vel magis immediate *propter* humores certos promovendos suscipiuntur, vel actu in talium *congestionem* consistunt.

Sunt vero hujusmodi humorum *propulsorii* & *congestorii* motus, vel magis *ordinarii* & solenniter consueti; vel plane *extraordinarii* fortuiti, & quasi violenti.

Priores, innituntur *excretionibus* sanguineis, secundum certas *ætates*, ad certas corporis *Regiones* dirigi solitis.

Posteriores, fundantur in *violentis* quibusdam effluxibus, aut ad minimum affluxibus; Quando nempe per *Ulcerationes*, sive fortuitas, sive artificiales, (*fonticulos, setaceum, vesicatoria*) aut sanguinis emissiones, *Vena sectiones, Scarificationes*, emissio per certam partem ita assuevit, ut inde imposterum, quando aliquid excretionem dignum denuo in corpore oberrat, ad illam eandem *partem, locum, & speciem* excretionis, fiat molimen.

Ubi quidem, tertio loco, maximopere notanda est, *composita* illa horum *habitualium Motuum* species, quando ista magis *spontanea* seu quasi naturalis determinatio, ad certam *speciem, & certa loca* excretionis, vel statim coincidunt, vel ad minimum successively ad eundem terminum devolvuntur.

Ubi v. g. *Annosioribus*, e qualibet occasione, etiam leviori, per facile *congestionem, Dolores, Ulcerationes, Tumores*, circa *inferiores partes corporis, Renes, Lumbos, Coxas, Femora, crura, Pedes*, prognascuntur, pertinaciter durant, frequenter repullulant, præ *junioribus*. Uti contra, *junioribus* longe facilius circa *Pectus, Thoracem, Hypochondria*, passionem ejusmodi assuescunt, quam aliis *Ætatibus*. Tanto magis vero hoc, ut denuo monemus, si *externæ* ejusmodi dispositiones, cum *internis* concurrant atque conspirent.

Cum itaq; istæ veluti solennes *excretionem Sanguineam*, primâ ætate ad *Caput & Nares*, tendant; Succedente *Adolescentia* & *Juventute*, ad *Fauces* atq; *Pectus*, deniq; *Hypochondria*: Procedente *juvenili, & virili* seu *consistente*, *Ætatis serie*, ad *Hæmorrhoidales & Mictus* sanguinei expulsionem: Fit inde, ut hujusmodi *Ætatibus*, *excretio actualis*, à qualibet *externa causa* facile excituletur; aut licet ipsa *exitum* non fortiatur, molimi-

nam tamen ad ipsam spectantia, non modo semel, sed etiam imposterum, suscipiantur, & magis magisque insolescant, seu veluti solennisentur.

Interim hoc utique certum, neque quidem conceptu difficile est, quod, quo *diutius*, aut *sepius*, aut *vehementius*, *Motus* tales ad fluxionem spectantes exacerbati fuerunt, aut actu ad *exitum* pervenerunt, eo *certius*, *citiùs*, & *pertinacius*, in *habitu* abire soleant. Neque id solum in præsens, sed etiam, eodem statu atque habitu continuare; adeo, ut licet *Ætas* talis succedat, quâ ordinarie consuetus *Motus* ad alia loca devolvi debuisset, nihilominus e longâ assuetudine, *primum locum* servet, nimirum *prægressæ* alicui ætati familiarem, licet *præsenti* minus convenientem.

Eodem tamen tendit etiam *Palindrome* quælibet, etiam à magis fortuitis causis, aut ad minimum e *vicina* *Ætatis* dispositione, in aliam conterminam, prognata. Ubi v. g. satis frequentes sunt in *Senibus*, ejusmodi regurgitationes humorum, ab inferioribus partibus, *hamorrhoidibus*, *cruribus*, *pedibus*, ad *Caput*: e quibus *Vertiginosi*, *Apoplectici*, *Visus* modo debilitatorii, modo everforii, effectus, prognascuntur: Licet magis ordinarius & immediatus *recursus* inde tantum, ad *Hypochondria* fieri deberet. Quemadmodum etiam dissimulandum non est; Quod utique etiam in talibus casibus modo dictis, hæ ipsæ quoq; *hypochondriaca* *Palindromes*, vix unquam absint, sed perpetuo cum istis concurrant.

Tota itaq; *Pathologia Habitualium* ejusmodi *Morborum*, consistit in eo, quod (1) aliqua *Assuesfactio Motus* facta sit in genere, (2) ad certum *locum* in specie: & quidem (3) *Materia* alicujus, vel immediate vel mediate *noxie*, aut ad minimum *molestæ*: Sive locus ille, (4) e genericâ quadam, *communi*, sive ex individuali prorsus, dispositione, ad hujusmodi motum *agilior* factus sit.

Ut *Exemplis* negotium clariùs fiat, dabimus aliqua, quibus & *historiam*, & *Pathologiam* horum *Affectuum* illustrare liceat.

EXEMPLA.

Vir juvenis 24. annorum, perillustri profapia, adeoq; ad libertatem quamlibet non magis pronus, quam promptus, cum in Adolescentiâ sua, præter ordinariam *vinosam, opiparum, diætam*, largis quoque *compotationibus* indulgere cepisset, *vinum generosum, Aquas vitæ* quas vocant, *tabacum*, per frequenter ad *ebrietatem* usq; ingereret; Prætereà *excursionibus venatoriis, Itineribus* repentinis & longinquis, per *imbres, tempestates, ventos, grandines, nives*, tenerrimis *sericeis vestimentis* levisimè indutus, vacaret: *Venereis* quoque rebus non parum sese manciparet: Incidit dehinc infortuitum infortunium; ut casu ab alto *Caput* quidem leviter, *Animum* vero gravissimò terrore, concuteret, ut per aliquod horæ minuta, vix recte ad se rediret.

Intervenientibus mox aliis, moralibus *langvoribus, tædiis, iracundiis, terroribus*, ante omnia vero *diætæ* liberioris in strictissimam mutatione, incipit *gravèdine* quadam, *tensione* circa summam *nares, frontem, Verticem*, cum multâ *mucidiissimâ excretionem, tinnitu aurium, Vertigine, ructibus* post pastum, affici, de cetero satis bene valens.

Continuat hæc scena in tertium annum. Sub quorum decursu, propinantur numerosissima & copiosissima medicamenta; modò *cephalica*, modò *stomachica*, præcipue *martialia* multa, modò *nervina*, modò *salia volatilia*: *Acidulæ* etiam *E-granæ* usurpatæ, sed cum mox primò intemperantiore usu, valde turbarent *ventriculum & alvum*, simulque, *Vertiginoso* effectu, *Caput*: citissime cessatum est,

Appetitus interim constabat optime; *Somnus*, erat & promptissimus & profundissimus: *Corpus & Animus* nunquam melius, quam in *Equitatione, Venatione, Itineribus, fatigationibus*, habebant.

Inter *Consultationis* Medicorum accedebat unus, qui gravissima quæque ominabatur, *Apoplexiam* ante omnia præsentissimam. Cujus metu ita exagitabat illustrem Patientem, ut non modo ad sua consilia, medicamenta, & varias dispositiones, & modo non imperia, eundem permoveret: sed etiam eo desperationis adigeret, ut quotiescunque *aures tinnirent*, *Vertigo* emicaret, aut *mucus* ad scretum difficillime succederet, mox panico terrore, & veluti jam instantis *Apoplectica* mortis formidine extra se positus, *Lipothimias* frequentissime velut in procinctu haberet.

Desperabundus de omni *Theoria* Medicus, saltum denique faciebat ad *Venerearum* passionum suspensiones, & jam non modo proposuerat, sed fere ad ratihibitionem perduxerat, *salivationis* curam; cum superveniens alius Medicus, pensitatis sollicitissime omnibus circumstantiis, & semotis istis pathematibus, quæ ab *Animi pathematibus*, metu, terrore, interdum *Iracundiâ*, pendebant: Sepositis vitiis *temporariis*, quæ à *dieta* abusibus proficiscebantur: consideratis vero magis *perpetuis*, *constantibus*, & *uniformibus*, symptomatibus, nihil nisi hoc unum enunciavit: Affectum illustris Patientis nihil aliud esse, quam *Catarrhum*, imo in specie *gravedinem* atque *coryzam* HABITUALEM. Reliqua omnia symptomata, non nisi pure *fortuita* esse, & antedictis *moralibus* magis causis, aut *dieta* vitiis, inniti. *Apoplexiæ* metum, non modo *Ætati*, sed omnibus aliis circumstantiis, non magis *ἀτοπον*, quam *ἄλογον* esse: *periculi* nihil, sed tantum *dieta* aliqualem circumspectiorem rationem, necessariam esse: Eamque in *potu* potius relaxavit, & cum hætenus *vini* usus, a *cunis* propemodum patienti huic consuetus, nullo rationali consilio *absolutè prohibitus* fuisset, eundem, modo *moderatum*, iterum svasit, fercula solidiora, loco *mollissimorum* jurulentorum, hætenus *injunctorum*, (quæ & *fastidio* erant Patienti, & *ἀδδυσ-φayίαν* Patientis nullomodo satiabant, imo *colliquatoria* mucescentiâ *Ventriculum* prægravabant) substituit, occupationes, *Motus corporis*, *Animi libertatem* quantamcunque fas est

davit, à frivolo verò abusu multorum & variorum Pharmacorum, Dominum Patientem potiùs abduxit. Ita ille, inde, & licet hæc omnia longiffime infra mediocritatem observaret, nihilominus *vegetus, robustus, alacris, vivax*, jam per 12. annos, etiam extrà somnium de *Apoplexiâ*, vixit: sed & inter aliquot Ipsi addictorum Medicorum, etiam istius intempestivi Ominatoris, jam ante aliquot annos funus vidit. Nulla interim alia re, nisi sola illa *gravedine HABITUALI*, inter evidentissimas *Aeris, mensæ, motus, quietis, Animi pathematum*, & quas notare nostra nihil refert, ataxias, nunc & tunc vexatus.

Fuit hic *catarrhus Habitualis*, tantisper, & quamdiu legitime procedit, & evacuatur, nihil adeò periculofum involvens: Si verò temere *conturbetur, irritetur, exacerbetur*, proclivis utiq; erit in graviora mala, a quibus hætenùs, præcipue per *Ætatem*, nullum fuerat periculum.

Adolescens 17. annorum, habitus corporis valde *teneri*, sed tamen *proceri*, diætæ lautioris & vinosæ, *cholero-molancholici* habitus, avitâ dispositione hæreditariâ ad commotiones *sanguinis*, & *phtbifico-hecticas, spasmodicas, podagricas* passiones propendens: Cum inde à pluribus annis frequentibus & largis *Narium Hemorrhagiis* obnoxius fuisset, ante aliquod tempus, *medicamentis fluxum hunc restringentibus, externis & internis*, ab *hemorrhagiâ* quidem *Narium* liberatus est: Cum verò *Vernum* tempus rediret, *tussi* corripì cœpit, *sicca*, sed efferâ: Cum excessum aliquem in computatione *vini*, & quidem *generosi*, & *aquarum vite*, quas vocant, iterato comitteret, rectâ in *phtbisin* transiit; variis methodis, modò *dogmaticis*, modò *emptriciis* *frutaneis*, solâ morte terminatam.

Atque ita *hemorrhagia hæc habitualis*, quæ vel sine periculo diutiùs tolerari potuisset, vel quolibet tempore, ubi, infestior facta, oneri esse, & jure suspecta fieri meruisset, levi *tempestiva vene sectione*, non modò ad diuturnas, sed plane *pereennes*, inducias redigi potuisset, intempestivâ hac *suppressione*, si-

ne ullo respectu ad *habitum*, prompte sane in aliud genus, & plurimum deteriore affectum, transiit.

Fœmina generosa, *habitus cholero-melancholici*, in juventute sua, circa *menſum* ſucceſſum varias difficultates perpeſſa, & ea propter *frequentibus*, intempeſtivis, & immoderatis *venæ ſectionibus* abuſa, cum poſthac viro nupſiſſet, & aliquoties peper-iſſet; adeoque *lochiis* ſatis largiter evacuata eſſet, non modò *Venæ ſectionis omiſſæ* hætenùs, nulla damna ſenſit, ſed etiam *menſum* ſucceſſum, licet minùs *ordinatum*, non tamen præter modum *infrequentem*, habuit. Cum vero 30. circiter annò *parere* deſuiſſet, cœpit circa *Pectus* male habere, *Aſthmate ſiccò*, *tusſi ſicca*, infeſtari. Adhibita medicamenta *pectoralia*, diſcutientia, baſſamica *calida*: Cum malum nihil remitteret, imò incre-beſceret, nata ſuſpicio *phthiſeos*, adeoq; remedia eo deſtinata *traumatica*, *aſtringentia*, in frequentem uſum deducta. Cum à talibus ſtatim ad ſenſum pejus haberet *Ægra*, ad *expeſtorantia* & *humectantia* factus tranſitus. Hæc cum *rarò*, & *moderatè*, uſurparentur, procesſit cum *tusſi ſputum*, ſed ſine ullo levamine *Aſthmatis*, impetus *tusſis*, *inappetentia*, *laſſitudinis*, *ſitis*. Durabant ejusmodi paſſiones ad 10, 12, ſeptimanas, per hyemes, per autumnos. Exacerbabantur *Ira*, *terrore*. *Menſes* rarius rariusque ſuccedebant. Cum hic ſtatus ultra 4. annos duraveſſet, poſt alios Medicos, unus denique juſſit *Venæ ſectiones* reſumere. Videbatur *macies* ſumma Patientis, diſſenſui aliorum Medicorum pollicem premere: obtinuit tamen deductio Medici plauſibilis, & aliquot exempla aliorum, cura ipſius ſummopere ſublevatorum. *Mittitur ſanguis*, ſubjunguntur lenia diſcutientia, reſolventia, attenuantia, ſubjunctis tempeſtive tonicis, e *ſalium volatilium* urinoſorum cenſu. Cavendo tamen à *frequentibus*, aut *copioſis*, medicaminum exhibitionibus.

Hæc Methodo non modò revocati, ſed propemodum in *ordinem* redacti ſunt *menſes*; delinitus maximopere eſt *Affectus*: *Patiens* tolerabiliſſime habuit, & a *frequentibus* & *gravibus* ejus-

modi, ante omnia vero *diuturnis*, insultibus, *pene libera* vixit per tres annos.

A *levamine* hoc, ad plenariam *sanitatem* aspiranti, neque mediocri hujusmodi *Valetudine* contentæ, ut fere fieri solet, supervenit novus Medicus; causatur *tenacissimum* mucum Pulmonibus Patientis inhaerentem, quem *emollire* & *expellere* necesse sit: *Vena sectionem* explodit, & summopere adversatur, præcipuè solennissimò illo dicterio, [quod à solis *vetulis* didicisse Medicos, Sibi perſuadet D. D. Præſes] Sie ſolte ſich lieber Blut in den Leib ſauſſen / deterret Patientem ab ejus repetitione, quam illo mense *Septembri* celebrare, per hos *tres* annos solita erat. Substituit Ille potiùs sua *Methodo*, decoctum *pectorale expectorans*, in quo *Glycyrrhiza*, *juxuba*, *Sebesten*, omnem paginam absolvebant. Incipit inde Patiens *angustiâ pectoris*, & *Asthmate humido* impetuosissimo obrui, quod à *catarrho suffocativo*, nullâ alia re, nisi impetuosissimâ *tussi* conjunctâ, differebat. Materia quam *tussiendo* emoliebatur, primò quidem erat paucior & *tenacissima*; mox verò, cum *decocti* largam quantitatem quotidie assumeret, copiosior, non tamen multò *volubilior*. *Angustia pectoris*, *tussis* diuturna ferocissima, *expectoratio* copiosissima, nullus ferè *somnus*, *concussio Capitis* à perpetuâ *tussi* violentissimâ, imò totius corporis *de-lassatio*, longè minus tamen pessundare videbantur Patientem, quam *Febris hectica* impetuosissima, præcipue *tertia* pomeridianâ horâ exacerbari solita. Cum hæc ita in *tertiam* septimanam continuassent, incepit *purulenta* *tussi* ejicere; *Viribus* vero indies ita decreſcere atque fatiscere, ut ex omnibus ipsam videntibus, nemo fere quicquam aliud, quam *Mortem* ejus expectaret: Nemo tamen omnium, five certius, five præſentius eandem ominaretur, quàm ipse *Medicus*: Qui quidem proinde *prognostico* formali, Maritum præmonebat, & funus Conjugis, quasi ad interim, apparare juberet. *Patiens* illo lecto, quod sub initium hujus curæ occupaverat, ut immobiliter affixa, per *integras viginti sex septimanas* affixa

affixa permanfit; & toto hoc tempore, *ſingulis diebus ultra duas libras* mucofi ſputi, tuſſiendo rejecit, *tusſi effera, calore febrili contumaciſſimo, inappetentia, vigiliis, ſummâ virium inopiâ, conſumtione corporis extremâ, jugiter perſiſtentibus.*

Commodum evenit, ut abſente ſuo hoc Medico, ſub finem *Martii* Menſis, quo tempore alias *Venæ ſectiōem* vernam celebrare ſolita fuerat Patiens, ſummô mane, *palpitatione cordis*, mox turgeſactione & pulſatione inſolitâ vaſorum *circâ Caput & tempora*, corriperetur Patiens, ultra horæ ſpatium; quo ceſſante, obdormiſcens langvide, ad *nonam* antemeridianam quieſcit: Tunc expergeſacta, repentinâ tuſſi, & facili, imo præcipiti quaſi ſcaturgine in Os effusâ, exſpuit *quinq;* vel *ſex* deinceps portiones, quantum bucca capit, puri ſinceri *ſanguinis*: Quô accidente, non illa magis, quam domeſtici ejus perterrefacti, curſu accerſunt priorem Medicum. Hic, ſepoſitis inconfultis illis *expectorantibus*, datis *Alexipharmacis* lenibus, *diſcutientibus*, & quaſi tantum odoretenus, ut vocant, *ſuſpendentibus*, enormem illam *expectorationem* ab illo die in poſterum refrenavit, ſputum *ſanguinis* cohibuit, curam tamen ulteriorem, Medico poſt proximum triduum reduci, detulit. Cum vero neque Patiens & ejus Agnati, neque ipſe ille Medicus, in ſua Methodo amplius multum fiduciæ ponerent, conſenſerunt mox univerſi, in priſtinam methodum; quâ cum intra 14. dies omnis ſenſibilis *exacerbatio* febrilis oblata, *Vires* refocillatæ, *quies* quandantenus reſtituta, *appetitus* invitatus eſſet, inſtituta *Venæ ſectio*, poſt exquisitam commonſtrationem, ſatis prompte in hanc ſententiam condeſcendente altero illo Medico, eo redegit totum negotium, ut Patiens non modo e lecto liberaretur, & ipſa tertiâ abhinc ſeptimanâ, in publicum, vehiculo ſuo prodire valeret, ſed etiam totum illum *annum* ita tolerabiliter exigeret, ut non niſi rariffime, uno vel altero diei lecto affixa hære neceſſe haberet. Poſt annum demum, *Martio* Menſe reverſo, cum alius novus Medicus, pariter *Venæ ſectiōem* timuiſſet, tandem ſuccubuit.

Ita *Asthmata siccum habituale*, potius ab *ampliatione* vasorum circa pulmones, & *spasmodicis* moliminibus ad *Hæmoptisim* spectantibus, quàm ullo alio supposito *infarctu*, *Viscositate*, *acrimoniâ* humorum, & similibus commentis, dependens, intempestivis *expectorantibus* irritatum & suffarctum, in præsentissimas noxas transmigravit.

Vir 45. annorum, habitus corporis *sanguineo-cholerici*, mutatione tamen diætæ ad *melancholicum* habitum declinantis, ab aliquot annis, *verno* & *autumnali* tempore, post aliquot dierum *Asthma humidum* & *tussim*, *hæmorrhoidum internarum fluxum* experiri assueverat, cum insigni de cætero *euphoriâ*, & sanitate satis exquisitâ. Anno 1689. cum sub *autumnum dysenteria* grassaretur, & ex ipsâ ejus *Viciniâ* aliquot funera efferentur, eoque ipso tempore *hæmorrhoides* ipsi expedite sed *liberaliter* procederent, vano metu, ne ab his *dysenteriam* facilis fieret transitus, fluxum earum intempestivô aliquot *adstringentium* usu, simul cum copioso abusu *nucis moschata*, præmature suppressit. Cessaverunt, hâc vice, sine insigni incommodo. Subsecutô autem *vere*, maturius coortatus *tussis* cum *Asthmate* intensiore, gravius fatigant virum. Consultit Medicum empiricum; qui modò *opiatis*, modò *salibus volatilibus*, modò *Regimine* diaphoretico per calidiora, *brevi* sed *forti*, exercens Patientem; cum simul ipsi, ubi de *hæmorrhoidum* assuetudine sibi familiari admonuisset, respondiſſet, se vel maxime ab ipsis quoque *hæmorrhoidibus*, utpote morbo, eum curare necesse habere: citissime patientem in *Hydropem* conjecit, qui impetuose prævalescens, ab aliis Medicis contemperatus & leviter sublevatus, post tres tamen quadrantes anni, non nisi morte cessavit.

Ita *Fluxus habitualis hæmorrhoidum*, intempestive suppressus, incommode consopitus, & incongruis *præcipitibus* diaphoresibus obrutus, in *Hepatis Scirrhusum* infarctum, atque inde *Hydropem* pertinacissimum, imò inconsolabilem, transiit.

Persona illustris, Vir 40. annorum, ab aliquot annis laboravit, *ulcere femoris*, ad communes linimentorum, unguentorum, emplastrorum usus, refractario. Supervenit tandem paulo peritior Chirurgus, qui post præviam, quam vocant præparationem corporis, per discutientia, *camphorata & balsamica*, mundificantia, consolidantia, Ulcus ad *cicatricem* perducit, & quod ajunt, ex fundamento, restituit, atque percurat. Habent se omnia optime ad *annuum* propemodum spatium; ubi obscuris quibusdam *tensivis & pressoriis* doloribus afficitur Patiens: Cui, cum ex consilio opponerentur *repellentia* dicta, ne nova fluxio ad partem nasceretur, succedit mox *lassitudo*, quam sequitur *horror*, & hunc *æstus* gravissimus, cum *anxietate* præcordiorum summa, verbô *febris acuta* valde impetuosa.

Alia Persona, *fœmina*, *Ulcerationem* ejusmodi diuturnam ad 10. annos continuos, in *tibiâ* perpeffa, denique *fabri* cujusdam *ferrarii* medicatione, per *pulverem ex herbis*, quo Ulcus sine externâ speciali applicatione, ab intrâ extrorsum *purgabatur*, *mundabatur*, *restaurabatur*, hoc inquam medicamento, intrâ aliquot septimanas ab Ulcere hoc liberatur. Succedit etiam ita ad *annuum* fere spatium, illa immunitas, nisi quod circa insigniores mutationes *tempestatum*, molestum aliquem sensum, nunc & tunc experiretur.

Post *annuum* verò spatium, recrudescent graviora pathemata, & frequentes atque gravissimæ, non modô *erysipelaceæ*, sed omninò *phlegmonodes* partis *exæstuationes*, *tumores*, inflammationes; donec denuò in *Apostema*, imo *Apostemata*, circa locum pridem obsessum, denuò abirent. Neque sane constanter & ex fundamento restitui potuerunt, prius quam ad *sacrificationem*, assvescieri cœpit patiens, & simul frequentibus *lenibus diaphoresibus*, & præterea medicamentis *sanguinem mundificantibus*, & *temperantibus* subinde usurpatis, à molesto illo, ad hætenus consuetum exitum decubitu seu restrictorio motu, quadante nus desvesfacta est.

Imò satis notum est quam pertinaces passionēs, quin sæpe.

penumero fonticas læsiones, post se trahat *fonticulorum* diutius gestatorum, & denique temere *resiccatorum*, neglectio.

Ubi nimirum in omnibus hujusmodi Morbis, illud utiq; in sensus incurrit, quod, quando alicui *Motui excretorio* Natura affvefacta est, nempe per promptiorem atque liberiores exitum, undecunque ipsi conciliatum atque concessum, quod tunc ejusmodi *motuum*, quatenus plus minus directe ad *Conservationem* Oeconomix corporis inserviunt, imposterum quoque ita memoriter, & pertinaci intentione, recordetur, ut nisi postmodum quoq; iisdem locis, liberam emotionem retineat, Materia tamen talis maneat, quæ vel ipsis ejusmodi locis commodè expelli posset, vel ad minimum *in genere*, emotionem atque expulsionem meretur: Tunc utique semper denuo ad hujusmodi emunctionem expulsionem, *emotionem*, variis *moliminibus* & tentaminibus *motoriis* denuo recurrat, adeoque longum suum *habitum*, sive *Consuetudinem agendi*, retineat, atque reassumat.

CAPUTUM V. HABITUALIUM AFFECTU- UM LONGINQVA EXTENSIO.

Cum omnium nostrorum laborum, *Observationum*, considerationum, verus atque unicus *finis*, debeat esse *Praxis*, & quidem non solum ipsa *Therapia*, sed etiam verax & bene fundata *Prognosis*, non possumus proinde, quin hoc caput veluti speciatim addamus, ut nempe ex hac certissima annotatione atque observatione, meminisse detur, (quanta vis sit *Habitus* seu *Consuetudinum*, in morbidis *motibus* in corpore animali.

Cum *Motus* in corpore humano, qui ad *excretionem* & *exonerationem* aliquam, certo respectu non modo *non inutilem*, sed non raro *necessariam*, spectant, principaliter sint illi, quibus *compressio*, *restrictio*, adeoque *congestio* sanguinis ad certa *emunctoria* perpetratur; hæc ipsa vero *emunctoria*, secundum *Ætates* varient: Occurrit inde in praxi, frequentissima illa, imo si

attendatur, adeoq; exquiratur, *quotidiano* observatio, quod, quicunq; in aliqua prægressâ *Ætate*, *evacuationi* tali per certum *emunctorium* assveverunt, illi *subsequentibus* *Ætatibus*, ad excretiones ejusmodi alias, pariter proclives existant.

Quando enim *Natura*, *excretionem* aliqua *in genere*, ad usum corporis efficaciter potita est; illa etiam *excretio*, unam, eandemq; *rem* concernit: sed *locis* tantum ita variat, ut per, diversa loca atque organa, una tamen eandemque *materia* moveatur, excernatur. Ibi sanè mirum non est, si ad ejusmodi *Intentionem*, ad excretionem *unius* certæ *materiæ*, *Natura* assvefiat *in genere*, licet *loci* diversa, per alias circumstantias deinceps sibi commodiora, agilia, propinquiora, tunc in usum trahat, adeoque *mediis* solum variet, *rem* verò unam eandemque semper agitet, aut intendat.

Facit sane hoc, in negotio illo solennissimo, à quò paulò circumspectiùs loquendo, vix non omnes *Morbi chronici* (quotquot non ab *externis* causis concitantur) originem suam habent, nempe in *Motibus hæmorrhagicis*, sive *moliminibus* ad sanguinis *excretionem* spectantibus.

Inde itaque est, quod illi homines, quicunque in *juniore* *Ætate*, copiosis, promptis, & frequentibus *hæmorrhagiis* *Narium* assveverunt, procedente *Ætate*, vel *Hæmorrhagiis* sive fluxibus, vel ad minimum *spasmodicis*, compressoriis & congestoriis, *Motibus* circa illas partes, obnoxii fiant, quibus *hæmorrhagica* eruptiones, illâ ipsâ *Ætate*, fieri possent, aut deberent.

Inde fit, ut quicunque in *primâ* *Juventute* & *Adolescentia*, *Narium* hæmorrhagiis admodum infesta fuerunt, iisdem succedente *Ætate*, vel hanc consuetudinem retineant, frequentibus & copiosis *Narium* *Hæmorrhagiis* affici pergant; vel doloribus *Capitis* & circa *Caput*, circa *humeros*, *cervicem*, *scapulas*, obnoxii fiant, *Erysipelate* *capitis*, aut *Ophthalmiis*, *Angina* &c. infestentur: aut succedit proxima *juvenili* *Ætate*, ejusmodi *moliminum* cohors circa *thoracem* atque *Pectus*, & subnascitur varium *molimen*

men, ad *Hæmopticas* sanguinis excretiones in fundamento respiciens, non raro etiam perveniens.

Sub *vita vero sedentaria*, transit hæc *habitualis* ad *excretorios* sanguineos *Motus* dispositio, in *Hypochondriacorum Affectuum* turbam; qui nempe ad *excretionem* sanguinis per *internas hæmorrhoides*, præcipuè respiciunt, & veluti destinati sunt.

Idem fit in *annosioribus*, circa *exteriores hæmorrhoides*; & his minus expeditè succedentibus, circa *Renes*, *lumbos*, *regionem ischiadicam*, denique *femora*, *cura*, *genua*, *pedes*.

Illud vero, quod in nostrum præsens negotium, præcipuè & exquisitè notari debet, est hoc, quod sæpenumero in *juventute*, *Hæmorrhagiis* gravibus assveti fuerint homines; *intermedia* vero *Ætate*, siue *vitæ genere agiliore & laboriosiore*, siue *dieta temperantiore*, (*fœmina* vero præcipuè, partim *mensibus*, partim *puerperiis*) ab illâ consuetudine liberati appareant: Si *declinante* *Ætate*, *otiosiore*, & quod illi putant, *quietiore*, *Vitæ genere*, denuo uti incipiant; *Fœminis* *Menses*, *puerperia*, cessent: tunc post numerosissimos annos, respicit denuo *Natura* ad *pristinum* illum *hæmorrhagica* excretionis *habitum*, incipit iterum *molimina* talia, quæ licet *specie*, & *loco* præsertim, à *pristinis* illis plurimum differre videantur, *genere* tamen, *materia* quoque *sine* seu *intentione*, utique minimè omnium differunt, sed in *fundamento idem* prorsus *sunt*, atque *agunt*.

Unde frequentissimum prorsus occurrit in *Praxi*, hisce *solidis* *fundamentis* superstructâ, ut si talis *Æger* occurrat, qui horum *generum* *pathemata* præ sese ferat, neque illa magis à *puris externis* causis, *febrilibus reliquiis*, *vulnerationem*, *fracturarum*, *Contusionum*, *Combustionum* &c. noxis prægressis in hæc devolutus sit certissimò quasi *presagio*, prægressas ejusmodi *congeneres* *passiones* *divinari* liceat, licet per *viginti*, *triginta*, & amplius, annos, nihil horum magnopere acciderit. Et contrâ, à *priori*, *integrum* sanè est, è talibus in *juventute* obtingentibus, ad subsequentes *Ætates*, imo *seram usq; senectutem*, con-

gene-

congeneres effectus & Eventus securè subsumere, eosq; prædicere atque ominari.

Qui sane *Habitus*, uti, suprâ dicta ratione, in praxi frequentissimè occurrunt; Ita *hereditaria* dispositiones aut phantasticæ *Matris impressiones*, planè eodem utique spectant, & considerationem in *praxi* non exiguam merentur.

CAPUT VI. MORBORUM HABITUALIUM PROGNOSIS.

Qui Medicinam, vel pro negotio purè *conjecturali*, vel pro exercitio nudè atque absolutè *empirico* seu experimentalì, habent, eximiè utique convinci possunt, non solum *scientificæ* Affectuum, & causarum ipsorum, *Diagnosi*: sed etiam legitimâ, & benè pensatâ affectuum & Eventuum *prognosi*.

Est hæc sanè ejusmodi *Scientia*, quæ non modò in genere *certitudinem* Artis comprobare valeat; sed etiam in specie, Medico existimationem non exiguam conciliare, quòd Artis suæ bene gnarus sit, & non modò *Vires*, sed etiam *limites* ejus, probè noverit.

In nostro certè negotiò, non faciliùs ferè irrisui sese exponere potest Medicus, quàm si in morbo *contumaci* atq; *rebelli*, frivolum *pollicitationem* promptæ curationis, & plenariæ restitutionis, temerè prodat.

Unde tantò magis certè circumspectissimum hic sese gerere debet Medicus; & cum hujusmodi affectus curæ *languidissimè* pareant, simulque *diuturnâ*, & sæpè *repetitâ* Medicatione, tempestivè etiam *preservatoriis* regiminibus & ordinationibus egeant; nec minùs providam *diætam*, & *morigerum* Patientem requirant; oportet utique Medicum hæc potiùs tempestivè ita *præcidere*, ut, sive ipse medicationi adhibeatur, tantò magis cautum, & temperantioris vitæ sollicitum, habeat Patientem: sive alius frivolus *pollicitator* inter-

cefferit, ipſo tempore judice, diluceſcat, uter vere & perite de affectu ſenſerit atq; judicaverit. Nimirum omnes omnino Morbi, quò magis *habituales* facti ſunt, eò magis *pertinaces, refractarii, diuturni*, ſunt atq; manent; & minime ita temere & expedite curæ obediunt: ſed vel omnem *veram* atq; *plenam* percurationem ſubterfugiunt: vel ad minimum, non niſi longo tempore, per frequentibus *repetitionibus*, imò *alternationibus* atq; variationibus medicamentorum, quin repetitis *intercalationibus*, interpoſitâ quiete, tempeſtiva demum *reſumptione*, & ſimilibus velut *enchiriſibus*, opus habent.

Quemadmodum autem hæc *Prognofis*, directum *genium* atq; indolem, & proprium *ſucceſſum*, atq; *eventum*, affectuum huiusmodi *in ſe ipſis* concernit; quod nimirum *in ſe* & ſuâ Naturâ, *refractarii, diuturni, rebelles* ſeu recrudelſcentes, exiſtant: Ita *ſpecialior Prognofis*, de *certis* ulterioribus *transformationibus*, & *reſpectivis eventibus* huiusmodi affectuum, *haud* minùs peritiæ, ſcientiæ atq; experienciæ, involvit atq; requirit. Ubi videlicet ex uno *certo*, ſed magis *generali, habitu præſente*, de aliis, poſt longum denique tempus *ſucceſſuris*, congeneribus affectibus, certum, & ſecuro eventu *verax* prognoficon, formare licet, quale ſupra, in mutuis illis ſucceſſibus *hemorrhagicorum Motuum habitualium*, notavimus.

Imò, extendit ſeſe per frequenter hæc ipſa *Prognofis*, etiam *in antèrius*, ut e *præſentium* paſſionum *habitu*, ad alias congeneres jam *præteritas*, argumentari, & quaſi ſecurè divinari liceat.

Antè omnia tamen, quod quidem propterea repetimus, *difficultatis, pertinaciæ, & difficilioris* percurationis præſagium, omnibus utiq; huius generis morbis, admodum certò atq; infallibiliter reſpondet; & Patienti quoq; *ſecuritatis, & diæteticiæ temeritatis* audaciam, tantò magis excutit & diſſvadet: ut ad minimum, ſi hîc obedientiam præſtare recuſet, Medicus habeat, quo ſeſe maturè minus feliciſ exitus denunciatione præmuniat.

Cæterum in his ejusmodi Affectuum constitutionibus, rationi utique magis obvium est, quòd, quò *diutius* jamjam invaluerunt, eò *pertinacius* etiam insistant, & *difficilius* cuicunq; curæ respondeant.

Ex eadem causa, si maxime *Cura* aliqua ejusmodi Affectuum sic satis feliciter procedere videatur, semper tamen adhuc latentis *periculi*, & justì metus facilis recidivæ, memorem esse decet Medicum; ne vel ipse a debita medicamentorum *continuatione*, aut *tempestiva* eorundem *repetitione*, cesset, & vanam spem exitus *facilis* & prompti, *lati* & *constantis*, sibi formet: vel *securitati*, *impatientia*, *intemperantia*, Patientis, ab hoc ipso errore & vana spe, subscribat, & bonum initium curæ, sinistro exitu obfignet.

CAPUT VII. MORBORUM HABITUALIUM THERAPIA.

Formata *Prognosi*, quòd Morbi *habituales* multo actu & usu *Motuum* assvefacti, non citò, *precipitanter*, immediate desvescere & supprimi possint; facile subjungi potest *Therapia*, quòd in ejusmodi affectibus nihil directe, *unicè* & *immediatè* ad reliquum morborum suscipi possit, quin simul ad hanc longinquæ assvetudinis indicationem, dirigatur intentio.

Quo ipso nomine, *habituali* affectui, *Methodus* etiam *curationis* ita applicari debet, ut in eâdem, *frequenti*, *repetita*, *continua*, medicatione, quasi contraria assuetudo inducatur.

Quia verò ipse etiam *habitus* morbidus, partim *materia*, partim *motu*, absolvitur; propterea etiam in *methodo* medendi, his *utriusq;* occurrere, necessarium erit.

Peragitur hoc, *Materia* *imminutione*, & *tempestiva* subtractione, in antecessum, seu præservative; *Motus* verò, partim *levi*, *expedita*, atq; *libera* promotione, partim *circumspectâ* & *tempestivâ*, simulq; *moderata* consopitione.

Materia illa, cum pro diversitate temperamentorum, modo sanguis sit, & hoc quidem communissimè: modo lymphatico-catarrrhalis & seroso-Phlegmatica substantia: Factà hâc distinctione, ipsa etiam subtractio illius causæ quæ peccat, directè suscipienda est.

Hic quidem minimè dissimulare, vel possumus vel volumus, quod etiam jam modò diximus, in sanguinis præcipuè, ad excretionē destinata commotione, *primariam causam materialem* plerorumque omnium *habitualium* Morborum, sitam esse. Adeò, ut etiam *catarrhalium* Affectuum, *prima & principalis* causa, non alia agnosci possit, si paulò attentius perpendantur circumstantiæ, quam hæc eadem *congestio sanguinis* versus caput; siquidem à *restrictione*, & *detentione* hujus, *serosæ partis* copiosiores *secessum*, & tumidum inde *infarctum* fieri, tam experimentis recentioribus *Venarum ligatarum*, quam ipsa ratione, satis evidens sit: Quorsum pariter spectat experientia altera à *posteriori* quod *sanguinis* evacuationibus, ejusmodi *catarrhales* decubitus intercipientur, & præoccupentur. Unde & *scarificatio* hoc nomine efficax, in vulgatissimo est usu: & inter alia hujus generis numerosiora exempla, notari quoque meretur historia è *Rhasis lib. 36. tract. 3. cap. 2.* à *Zacuto Lusitano Medic. Princ: Hist. lib. 1. historia 4.* notata, *Tineæ hirudinum* usu curatæ.

Hoc ipso quidem nomine, tum ad *preservationem*, tum ad ipsius *cure* fundamentum, efficaces admodum sunt *sanguinis imminutiones*; siue magis naturali methodo, per *consumtionem*, *Motu* nempe laborioso, fiant: siue per *evacuationem*, *Venæ sectione*, aut *scarificatione*, aut *hirudinibus*.

Quamvis autem hæc Experientiæ æquè ac rationi affatim respondeant; non deest tamen objectio, quod hæ ipse etiam evacuationes, aliam molestiam substituant; Cum verò longè tolerabilior sit, spontanea hæc & brevissima, molestia, ejusq; certiore efficacîa, certiores, *pertinaciores*, imò *gravissimas*, *ancipitis & periculosi* effectus, *passiones habituales*, prævenire liceat, & brevi atq; raro hujusmodi obsequiò, Tyrannidem ejus-

modi Morborum, per levisimas quoquè causas exarsuram, superare: sanæ rationi adversari talem metum, quilibet sanè agnoverit.

Illud verò memori utiq; mente tenendum, quòd si tales *evacuaciones*, usum speratum afferre debeant, *locò* utiq;, & *tempore* debitò, *quantitate* necessariâ, *repetitione* sufficiente, & quæ ipsi *proportioni* recursus Morbi respondeant, instituire illas oporteat.

Eodem spectant, *laxationes* & *purgationes* tempestivæ. Si quidem hæ non tantum *in genere*, serum abundans evacuando, & primas vias *abstergendo*, *occasionalem* causam variarum talium *exacerbationum*, semel *assueti* morbidì *Motus*, præoccupant: sed etiam, pro *diversitate*, aut *vehementiâ*, ingredientium, *fortiorem* motum, *circà* & *versùs* intestina, inducendo, aliorum *motuum* excretoriorum incommodiorum *destinationem* antevertit & avertit: imò *in commodiorem* viam ducit. Unde non modò *Ufus clysterum*, *acrium*, *revellentium*, imò interdum simpliciter *aperientium*, maximum usum in Praxi exserit; sed etiam inter numerosa exempla, quæ utilitatem prudenter susceptarum & continuatarum *Sanguinis evacuationum*, & noxas earundem denuò neglectarum indigitant, in mentem venit historia *Galenì* quam 6. *Aphor.* 47. & ex eò, cum expositione non indocta, *Zacutus Lusitanus M. P. H. lib. 1. Hist. 39.* recenset, de Juvene quodam, qui singulis annis *Melancholiam* incurrens, nisi *melanagogis* purgatur; horum usu *hemorrhoidum* apertionem quâlibet vice expertus, liber mansit: quoties vero negligeret hoc præsidium, in pathema illud mox prolapsus, eodem confugere coactus est.

Imminuta hic *Materia* sive *directa*, sive tantum *occasionalis*; *aversò* etiam generaliter *motu*: ad ipsam immediatam, jam facta *congestionis*, & *fientis* specialissimi *motus aversionem*, *repulsionem*, *repressionem*, *cohibitionem*, specialissimè accedendum. Et hoc quidem *curativa Methodo*.

Hic tamen nihil *impetu* agendum, antè omnia, si *materiæ* adhuc abundat.

Motus immaturè non fopiendi tantum, sed potiùs discutiendi, æquabiliter distribuendi, aut in aliam tolerabiliorem viam, aliorum deducendi.

In talibus rebus, *vera anodyna* sunt, non *narcotica*, sed ita dicta *specifica*. Hæc enim non modò in multis affectibus *revera dantur*; & agunt maximè non tam in *materiam morbi*, quàm *Motum* inde turbatum: Sed *enervant* eò ipso, præ omnibus aliis, istas tales *Motuum* exacerbationes.

Verbo: Uti *Materia morbi*, *corrigi & auferri* debet; ita adversus *habitualement* ejus *repullulationem*, tantò maturiùs, & *preoccupando*, hoc agendum est, antequàm *Motus* isti consueti fuscitentur. *Specialiter* verò maximè à loco, ad quem moveri, & in quo *Motum* turbas dare sivevit, avertenda est: *Motus* etiam ipsi, præmissa *materia* correctione & subductione, *delinienti*, non tam per *Narcotica*, quàm *nervina* temperata, *Cinabarina*, *Nitrosa*, *diluentia*, *specificia*.

Cùm verò princeps *Materia*, sit *Sanguis*, proinde hujus maximè *motui congestorio*, *tempestivis* ventilationibus occurrendum. Cumquè *Animi Pathemata*, & *Sensuum irritamenta*, præcipue à tempestatibus, & frigore, multum ad *Motus* excitandos possint; Neque minùs *vini abusus*, qui quantum aliud quicquam, *excretoria sanguinis commotionis stimulus* fit: proinde ab his abstinendum. *Motus corporis* opponendus illis, quæ a *stasi* concitantur; *quies* illis, quæ *commotione* exuberant. Præcipue vero si quod *statum* tempus concurrit, illi in specie occurrendum est; Si certus *locus*, ille præmuniendus, & ab ipso abducendum.

Potest hic aliquid, *insignis mutatio* in corpore, aut *Animo*, concurrens. Unde *pubertas*, & præcipue effectus ejus, in *feminis* maxime, *mutationes* aliquas inferre solet circa *assuetudines morbidas*; *Vitæ genus* mutatum, tam in *victu*, quam *motu*: *Animi libertas* restituta. *Specificia*, in curando, omnibus antecellunt.

Et hæc de *Morbis habitualibus*, & necessariâ hujus **FORMALIS**, in multis Affectibus consideratione, & congrua tractatione, dixisse sufficiat.

GEORGII ERNESTI STAHL,
D. PROF. PUBL. ORDIN. h. t. FACULT.
DECANI,

PROPEMPTICON INAUGURALE

QUIS BONUS THEORE-
TICUS, MALUS PRACTICUS.



Sillæ Artes, quæ manuum im-
mediato adminiculo perpetrantur, adeoque
agilitatem versatilem harum requirunt, ex
solâ speculatione ad perfectam habilitatem
perdisci non possunt; sed longo & multipli-
ci exercitio opus habent, neminem quidem
ejus rei admiratione tactum iri, certo confi-
dimus. Si verò talis Ars detur, quæ actus
suo per organa emissicia perficere possit, neque illorum aliam directio-
nem adhibere necesse habeat, nisi solam opportunitatem temporis, &
proportionem mensuræ; & potissimam suam partem, consistat in sele-
ctu tantum judicioso potius, quàm ullâ applicationis difficultate: Ea
cur speculatione, intellectu, inquam, & memoria, tota hauriri & com-
prehendi non possit, cuilibet mirum fore, non dubitamus. Est verò
hujus generis Ars, ipsa Medicina. Nuspiam utitur hæc manibus, nisi
in sola Chirurgia instrumentali, à quâ proinde hic tantisper abstrahi-
mus. In pulsus exploratione, longè plus judicii quàm enchiriseos
requiri, nemo ambiget. Deprehendit verò subjectum suum, partes
affectas, vel sensu satis crasso, vel judicio; speciem læsionis, partim
sensu etiam parùm subtili, maximam partem verò judicio: Modum e-
am corrigendi assequitur vel solo magis judicio, vel sola magis memo-
ria, in exprimentis, vel utrisque: Modum adhibendi, ratione temporis
morbi, ratione doscos, ratione regiminis conjungendi, ratione mutux
subordinationis diversorum Medicamentorum, exsequitur undique,
partim memoria, secundum experientiam, partim judicio. Hæc o-
mnia cur non mente & intellectu comprehendi, memoria retineri, ex
eâdem depromi, & quolibet tempore in effectum deduci valeant, ne-
mo ullam difficultatis rationem perspexerit, Sed optimi Theoretici,
sunt pessimi Practici. Est Vir profundè doctus, Es ist Schad um
den Mann/ hat trefflich wohl studiret/ hatt aber kein Glück zur
Praxi: in der Theorie läßt sichs trefflich hören/ aber in der Praxi geht
es gar nicht an &c. vox populi, vox Dei. Et profectò verum est; &
valet hic, si uspiam: Interdum populus rectum videt, est ubi peccat.
Unde vero hoc malum, non certè speculativum, sed practicum expe-
rimentale? Non philosophabor, neque Rhetoricabor, sed nudè & pla-
nè to-

nè totam rem dicam *Theoria Physica*, nuda & sola, perfundat *Medicinam*, si loco *Medicæ Theoriæ* hauriatur. Quid appellem *Theoriam Physicam*, & quomodo ipsam distingvam à *Medicæ*, quæretur? Dicam. *Physica* tota hodiè in eo est, ut pro fundamentis rerum, agnoscat & consideret *materiam* earum, & *motum*. In *materia* individualiter, *figuram* & *magnitudinem*; aggregativè, *situm*, *porositatem*, *densitatem*, *pondus*, *elasticitatem* &c. Fatetur interim, quod ne quidem *situs* in aggregatione, nedum *magnitudinis*, & *figuræ* in individuis, veram determinationem, ullatenus definire possit. Cum verò *motuum* diversitates, his rebus, tanquam fundamentis nitantur; imò, cum omnes *motus*, non nisi ab uno corpore in alterum *communicari* & *transmitti*, & concursu perpetuo mutuo, *continuari*, in tota rerum naturâ videamus; est inde, quod, cum habitum ad *motum* ignoremus, etiam *speciem motus à priori* dignoscere minimè valeamus. Unde sanè, non nisi purè *à posteriori*, magis suspicari, & probabiliter supponere, quàm ullo modo *deprehendere*, *dijudicare*, *demonstrare*, hic valemus. Fundus verò mali est, quod hanc necessariam *à posteriori*, ab *Experientiâ*, subsumptionem, frequentissime fastidit atque negligit nostra ætas, & loco veræ, observationi respondentis, *actualis* historiæ, & ejus debitæ applicationis ad regulas *figuræ* & *motus*, nihil nisi *probabilitatem* hypotheticam denique efformat, quæ ipso *actu* & *experientiâ*, non reperitur. Sed absit, ut nos his brevibus profundius committamus. Ad nostram rem hoc dicendum est, quod, dum hodierna *Anthropologia* & *Anatomia*, magis unicè in scrutinio *structuræ* partium subsistit; ejusq; habilitatem *passivam* ad *motus*, omnibus adminiculis spectitat: *motus* verò, ut *activi*, *directi*, *destinati*, *circumstantias à priori*, *tempus* incipiendi, *gradum* impellendi, *proportionem* utriusque non solùm ad partem immediatè *motam*; sed & ad humorem per hanc *movendum*; *mensuram* durationis, *energiam*, *constantiam*, *tenorem*, *continuationis*, &c. hæc omnia, inquam, dum negligit, quid proinde ad universam historiam de homine, *veri*, nedum, *solidi*, aut *connexi*, percipere, intelligere, deducere possit, in propatulo est. Quis enim v. gr. à *magnitudine*, aut *figura*, particularum e quibus: *dentes* efformantur, aut ex ipsorum *dentium*, *proportione*, rationem reddet, cur *dentes anteriores*, intrâ dimidium *primi septenarii* succrescant, ab eo ad dimidium *secundi*, excidant, & alii in ipsorum locum succedant? Quod *fæmi-*

na, ordinariè ante *sesqui-septenarium* aut *secundi* exitum, non incipiat *parere*; post *septimi* septenarii finem, non pergat? *Vir* verò, vel ad *sesqui-septenarios*, *generare* valeat, si sanus sit, neque tamen & ipse antè *secundi* confinia incipere possit? tantò minus ex ullà ratione *structuræ* innotuerit, cur in gravibus, quos *acutos* dicimus, morbis, *septenarium* dierum, ad *horas*, usque exquisitè, fervent *motus*; ubi profectò non parva erit implicatio, si *Febrem*, absolutè *morbum* dicas, & *motus* illos, ut puram *passionem* corporis consideres. Adscribenda erit illa definita *mensura, materia*; quod ex nullo undique fundamento probabile; vel *structuræ*, quod æquæ ac superiora, nullo modo demonstrabile; vel alii *agenti* principio, quod non placet, neque cum *Hypothesibus* conformabile. Centum talia enumerarem, nisi *Charta* & tempus dissvaderet. Interim, dum hæc in *Physica Theoria* recepta, si non negliguntur, non tamen nisi strictim & *superficialiter* memorantur, ingens profectò *historiæ Anthropologicæ*, & notitiæ *Medicæ* detrimentum accrescit. De exemplum in substratâ materiâ. Adolescens 18. annorum, cætera benè sanus, incipit repentinis *Odontalgiiis* affici; *Medicus*, ad parentum indulgentiam officiosus, *purgat*, *sudores* injungit, *sopit maturè*; post aliquod tempus, recurrant dolores, laxat cum *Epicrasi*, dat Sanguinem mundificantia, *Catarrhalia*, *sopit* iterum: Non diu post recrudescentes dolores, *sopit* ampliùs, & hoc sæpiùs: repullulantes subinde dolores, spernunt tandem mediocrem quoque *Narcosin*: Svadetur deniq; V. S., adhibetur, sed incassum. Adolescens, non parum contribuentibus *Narcoticis*, fit notabiliter *Hypochondriacus*. Interim *tument* perpetuo extremitates posteriores internæ maxillarum: tandem, post & inter varias medicationes, perrumpunt ultimi *maxillares*, *genuinos* & *sapientiæ* vocant, dentes; tunc demum longioribus intervallis, neque ferè nisi sub manifestis *Catarrhalibus* accidentibus, redeunt dolores. Vertentibus verò annis quo tempore *Vena secta* fuerat, variis modo *Catarrhalibus*, modò *Spasmodicis*, modò *inflammatoriis* æstuosus, doloribus, exercitus juvenis, non nisi reasumpta V. S. ne commodè sublevatur: & ita prompto successu eidem mancipatur. Hic sanè, si *Medicus* suspicionem talis *dentitionis* habuisset, Emollientibus, Relaxantibus, Nitrosis, Discutientibus *Camphoratis*, imò si nihil aliud, ipsa patientia, commodissime sublevasset patientem, quoad tandem dentes extrusi fuissent: quem illà intempe-

stivâ

stivâ conturbatione, contraria consopitione, & non necessaria V. Sne, incommodissimè exagitavit, & in Servitutem V. S., imò variam morbidam dispositionem conjecit.

Sed quid exemplis prolixis opus est. Quis non videt, quod illa notitia *historia*, quæ quidem *numerum, figuram, structuram* partium corporis percenset, sed *habitum* earum ad *morbos*, & hinc ad *curationem*, non attingit, *Physica* quidem sit, & ad *scientiam* pertineat, non verò *Medica*, ut artificem instruat, *quid & quomodo* juvare debeat. Brevibus repeto quædam. *Structura Meandrorum auris, incudis, mallei, stapetis*, & insignis inventi! *orbicularis ossiculi*, si nescirentur, *Physicam* historiam omnimodò *mancam* redderent: *Medicinam* non plus impedirent, quàm nives antè decem annos fusæ. *Figura humoris crystallini & vitrei*, imò plura alia in *oculi structura*, si in *Physica* nescirentur, dehonestarent certè notitiam & historiam: *Medicine* quid detrimenti inde accideret? *Intima structura fibrarum muscularium*, distributio per ipsas *nervulorum*, & tenerrimum *vasorum*; tot subtiles *lymphales ductus & vasa*, innumerabiles in *cute glandule*, textura fibrillaris, *reticularis*, ejus & aliarum membranarum, in *scientia Physica*, *sciri* debent: in *Medicina* oboli pretium usu non faciunt. Nihil verò impedit *Medicam*, *Theoria Physica sani corporis*: *Læsi*, seu *Pathologia* purè *Physica*, gravissimè confundit & conturbat. Hæc est illud scandalum, quod vel *impossibilibus*, vel *inanibus*, vel non rarò *ridiculis, indicationibus, intentionibus, inventionibus*, exponit Medicum; hæc est, quæ *incertum*, in consilio, *trepidum* in experimento, *infelicem* in effectû, & *Praxi*, reddit Medicum. Fundamentum totius mali in eò situm est, quod *Physica* talis *Theoria*, Mechanismi corporei unicè avida, *Mechanismum* seu potius *Organismum* MOTUUM, *tempus, gradum, directionem, finem, & energiam* atq; *activitatem* ad peragenda ea, quæ ad corporis *conservationem* pertinent, silentio prætereât; & quia *scientiam* eorum sperare non potest, etiam *notitiam & Historiam*, dissimulet. Interim *Medici* primum fundamentum hoc est, quod sciat, *Motibus* omnia in corpore fieri, *motuum & plurimas* esse, & *gravissimas læsiones*, *motibus* in effectum deduci *medicamenta*, *motus* esse *restituendos*, *per motus* esse sanandum: ad horum *tempora, gradus, directiones, intentiones* seu fines, attendendum esse: hos non temerè *impellendos, supprimendos, perturbandos*:

hos efficacissimè alterari *animi motibus*, seu pathematibus, idq; immediate, ne per somnium alterata *parte*: horum, citrà *corporalem* connexionem & communionem partium, esse *consensus*: horum esse *consuetudines*: horum esse *hereditarias* dispositiones: horum esse speciales quasi *decubitus* ad diversa loca, secundùm diversitatem *etatum*. Huic *Theoriae*, non modo *historicè* veræ, sed *scientificè* connexæ & coherenti, & conspirationem *motuum* ad *conservationem* & *restorationem* corporis; *emotionem*, *expugnationem*, rerum noxiarum: superstruere suam *methodum*, juxtà eam suggere subsidia seu *remedia* subordinare *tempus* administrationis, potest, imo *debet* Medicus, neglecta, ut Medicus, *structurae*, *texturae*, subtilissimæ, Microscopia & Micrologiâ. Breviter, *Physica* est illa *Theoria*, quæquidem *veram*, *renerrimam*, *intimam*, *Structuram* partium, & habitum hujus ad earum usum, curiosè, operosè, jucundè, spectat: *Lesionum* quoque modum subtilem *corporalem*, vel verè, vel hypotheticè, scrutatur: interim illud in *passionibus*, quod *Medicus Methodo* suâ attingere possit, & quidem veraciter, & consentiente constanti experienciâ, præsentissimè, directè, immediate ita attingere & mutare valeat, hoc, inquam, vel non attingit, vel non secernit, aut ad usum quasi seligit; sed potius illa unicè spectitando, quæ *Medici* & *Medicamenti* directam contrectationem non ferunt, vel *inutilis* est Medico, vel eundem de omni *scientifica Pathologiae* & *Therapiae* connexione, desperare cogit, & ad nudas *Empirias*, generalissimas *Therapias*, fallaces, & perbreves *palliationes*, adigit. Dedi exemplum in Disputatione de *Autocratia Naturæ*, de quolibet *vulnere*; quomodo ejus *Physico-Anatomica* Pathologia exquisitissima, ad *curam* instituendam & absolvendam, exquisitissimè supervacua sit: Et possent ejus generis centum specimina facillè produci, quorum plurima *nullam*, non pauca *falsam* indicationem seu suspensionem practicam hætenus suppeditarunt: quædam etiam ad temerarias, non modò alienorum, & *intempestivorum*, sed noxiorum *motuum*, provocationes & conturbationes, Practicos hujus turbæ seduxerunt: Sed sufficiat, digitum intendisse. Hæc est illa *Theoria*, quam suo loco & usui relictam, nullatenus rejicio; utpote *curiositatis*, *operositatis*, *Polyhistoriae*, damnatarum, non nisi per calumniam insimulandus. E. Medico verò foro, sollicitè & vigilantissimè exterminandam esse, censeo; & benè cavendum, ne nobis non solum nihil profit, sed

sed reverà *obfit*, dum vel machinamenta *corporea* supervacua persua-
det, aut *intempestivas* commotiones inducere quasi jubet, quæ *positive*
nocent: aut deuitarum, intensionum *Vitalis motus*, pro ipso morbo im-
peritè explicatarum, cohibitiones, oppugnationes, inversiones susci-
pere facit: gravissimo, & irreparabili sæpenumerò, damno. *Medi-*
cam verò *Theoriam*, illam dico, duco, commendo, quæ *motus* maximè
attendat, quomodo iidem modo à *corporalibus* læsionibus, reverà *pas-*
sive turbentur, modò *active*, contrà tales læsiones, intendantur & exa-
cerbentur; quibus corporis habitibus, seu *temperamentis*, quibus *vite*
generibus, quibus anni *tempestatibus*, quibus *atavibus*, quibus *consue-*
tudinibus, quibus *pregressis* morbis, aut pathematibus, accidant, suc-
cedant: ad quem *exitum* pervenire *possint* non modò, sed & commu-
niter *soleant*. Quos *motus* requirat conservatio sanguinis, & per
hunc, corporis; quos *motus*, *abundantia* ejus, aut suffocet, aut pro-
vocet: quid sequatur ex his rectè *succedentibus*, quid ex iisdem *non*
satis succedentibus: Quid ex iisdem *intempestive* represis, obnubi-
latis, consopitis; aut *alieno* tempore exstimulatis, &c. morbi di *motus*,
quorsum solenniùs *vergant*? quorsum commodiùs *ducantur*? quàm
facile *recrudescere*, quàm constanter *perennare*, quem *ordinem* serva-
re, quomodo *interturbationes* tolerare soleant. Qui ita *speculatus*
fuerit, *Theoriam Medicinam* nanciscetur, *connexionem* scientificam
inveniet, & *Practicus* ita certus inde evadet, ut & ipsa *cura*, & perita
Prognosi, ista artis, hanc scientiæ Medicæ, veritatem monstrare & asserere
possit. Hæc *Theoria*, non speculationibus de *potentiis*, sed experi-
entiæ de *actu*, superstructa, antiquabit illas exprobrationes, quas suprà
adduximus, quod *bonus Theoreticus*, tamen *malus Practicus* esse pos-
sit: Dummodò utique *materiæ Medicæ*, & ejus ad has res efficaciam; non
modò memoriam, sed & exercitatum judiciosum selectum, conjunxe-
rit. Summa verò, & princeps *Theoriæ Medicæ*, pars, quæ Praxin infe-
licem impedire possit, aut neglecta, hanc post se trahat, est *Benedictio-*
nis divinæ imploratio, & grata agnitio bonitatis ejus, in energia medi-
camentis concessâ, elucescentis. Præfari hæc libuit Solenni commen-
dationi, quam meretur Vir Juvenis Doctissimus.

DN. ANDREAS CHRISTIANUS RHETIUS,

Medicinæ Candidatus dignissimus,

Natus is est Arnstadii, Celsissimorum Comitum Schwarzburgi-
corum Sede. Patrem habuit Virum Excell. & Experientissimum DN.

JERE-

JEREMIAM RHETIUM, Med. Licent. & Physicum t. t. Arnstadien-
sem ordinarium. Matrem BARBARAM CATHARINAM, DN.
CHRITIANI GUNTHERI FRICCII, Secretarii Cels. Comitum
meritisimi, Filiam, Matronam honestissimam. Orbatus quidem o-
ptimo patre, admodum puer; Avum tamen charissimum, cum dilectis-
simâ Matre, Deo propitio retinuit, à quibus & educatus est, atque ad
pietatem virtutemque instructus, & Virorum proborum doctorumque
Informationi commissus est, ut ad Studia literarum præpararetur, eo-
rumque principiis imbueretur. Inter quos gratâ mente celebrat Vi-
ros Præcellentissimos, DN. M. JOHANNEM FRIDERICUM TREI-
BER, Rectorem Spectatissimum, & DN. JOHANNEM NICOLA-
UM FREITAG, Con-Rectorem meritisimum. Horum fide atque
curâ, in Disciplinis liberalibus & Philosophicis abundè institutus, tan-
dem anno 1694. Halam nostram ingressus, studioque Medico sese ad-
dicens, manuactione Professorum, studio & industriâ summâ, usus
est. Audivit Excell. D. D. HOFFMANNUM in observationes Po-
terii publicè commentantem? Physica Principia, & productiones atque
actiones Corporum Naturalium, Curiosis Experimentis illustrantem:
nec non Corpora Humana utriusvis sexus, Anatomicè perscrutantem.
Meum latus nunquam deseruit, quoties quidquam audire, videre, per-
quirere, occasio tulit. Auditor perpetuus in Physiologia, Pathologiâ,
Therapiâ, Materiâ Medicâ, Praxi: Tam Cursus quem vocant ordine,
quam iterum publicis privatisque Lectionibus, Commentationibus, Col-
legiis. Spectator in Anatomiâ publicâ, Zootomiis privatis, Chymico
Collegio duplici: Comes in Botanoporiis frequentissimis. Solers,
assiduus, industrius, sobrius, modestus: Civis Academiae nostræ probi-
tate & honestate nemini omnium secundus. His gressibus emensus
studiorum stadium, metam attigit. Comprobavit profectus solidos &
laudatissimos duplici Examine solenni. Disputatione publicâ Practi-
câ, de MORBIS HABITUALIBUS, ad huc semel publicè promptitu-
dinem suam demonstrabit. Inde LICENTIAM Honores ac Titulos sum-
mos in arte abeundi, Juribusque immunitatibus fruendi, impetrabit.
Ad hunc actum solennem, Magnificum Dominum Pro-Rectorem, Ex-
cellentissimos Academiae Proceres, Illustrissimos, Illustres, Generosos,
Clarissimos, Hospites Fautores, Cultores, officiocissimè invito. P. P.

Sub sigillo Facultatis d. XIV. Maji, M DCXCVIII.

(L.S.)